dem tempore, quo Bojardus ; ſed potuit ille ex una Bojardi ipſius Italica narratione haec delibare. Illud conſtat, Hiſtoricos Ferrarienſes, videlicet Priſcianum ipſum, ambos Gyraldos, ambos Sardios, Pignam, & alios in ſuae Urbis, ac Eſtenſis Familiae contexenda Hiſtoria, hunc prae ceteris creditum Ricobaldi ſoetum prae oculis habuiſſe, ſimulque cenſuiſſe ab ejus auctoritate ne digitum quidem ſibi fore diſcedendum. Mihi in Antiquitatibus Eſtenſibus alia electa eſt via, quae nimirum tutius ad veritatis ſacraria duceret. Interea Lector quod heic laudandum eſt, ſi quid tamen eſt, benivole excipiat; quae vero deteriora ſunt, benigne excuſet. Poſtquam aliis licuit in cenſum illuſtrium Hiſtoriarum inferre Turpini fabuloſam Hiſtoriam, licuerit & mihi Pſeudo-Ricobaldum exerere, eique inter tot egregias Hiſtorias, veluti corvo inter olores ſuum locum dare.